



Gerardus Nouiomagi apud Batauos natus & educatus est. Is cum foelici ingenio fruere-
tur, post prima literarum fundamenta in patria ia-
cta, sese ad uaria doctorum gymnasia contulit, at-
que in primis linguarum puritati, Historiarum le-
ctioni, Poëticae arti, & Theologiae incubuit. In hi-
sce etiam studijs adeo profecit, ut omnibus doctis
innotuerit, atq; Ultraiectini Episcopi à sacris con-
cionibus, praeterea Geldriae principi gratissimus ex-
titerit. Scripsit is Historiam Batauicam, cum ap-
pendice de uetustissima nobilitate, regibus, ac ge-
ntibus Germanorum, atq; anno millesimo quingent-
esimo tricesimo Argentinae edidit. Pari ratione

Germaniae inferioris Historias cum locorum quorundam situ declarauit, at-
que Nouiomagi ciuitatis Batauorum encomium descripsit. Episcoporum
praeterea Ultraiectinorum res gestas, cum uarijs rerum Germanicarum histo-
rijs, Marpurgi anno millesimo quingentesimo quadagesimo secundo publi-
cauit, & ad Vuilhelmum Geldriae principem gratulatoriam epistolam de
principatum suorum adeptione, & aliam admonitoriam de officio princi-
pis proposuit. Scripsit quoq; uersibus hexametris Satyras, & suis lucubrati-
onibus cunctis notus fuit. Itaq; factum ut Gerardus ob praecclaras animi uirtu-
tes Erasmo Roterodamo familiarissimus extiterit, alijs omnibus gratus fue-
rit, & apud Belgas magnam sibi gratiam conciliarit. Con. Gess. in Biblioth.
Eras. in Epist.